

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Caspar Mauritius Christian Schmidt

Theses Theologicae Succinctae De Sancta Eucharistia

Rostochii: Richelius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74000218X>

Druck Freier  Zugang



Ru. Nr. 1653

Mauritius, Caspar / C

Vert. Schmidt, Christian





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn74000218X/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74000218X/phys_0002)



THESES THEOLOGICÆ
SUCCINCTÆ
DE
S A N C T A
E U C H A R I S T I A .

Quas

DEO OPT. MAX. FAVENTE,
Consentiente Venerabili Facultate
Theologica

SUB PRÆSIDIO

*Viri admodum Reverendi, Excellentissimi,
Clarissimi,*

DN. CASPARI MAURITII.

S.S. Th. D. P. P. & Eccles. Mœcenatis, Fautoris,
ac Præceptoris sui devenerandi,

Publicè sustinebit

CHRISTIANUS SCHMIDT,
ROSTOCHIENSIS,
A. & R.

In Auditorio Majori add. 6. Aprilis horis antemerid.

os):(do-

ROSTOCHII

Typis Johannis Richelii, Senat, Typogr.
Anno cœ iœ LIII.

БОІДОЈОНІ ВЕСЕНТ

ІГОРІВСЬКИЙ

А Г Р І І А Б

І Т Р І А Г О Є


І Т Р І А Г О Є

І Т Р І А Г О Є

І Т Р І А Г О Є

І Т Р І А Г О Є

І Т Р І А Г О Є



І М П О Т Е О Д

І М П О Т Е О Д

І М П О Т Е О Д

I. N. D. f. C.

Thesis 1.

Si qvod religionis Christianæ mysterium est, simplicitate ut plurimum gaudens, primas facile damus ei, de qvo nunc accuti sumus; à qvo tantum abest ut uberes sibi explicando commentarios petat, ut ipsis sacrae scripturæ verbis inspectis, & ut sonant, sive super ea mentis humanæ captus fertur, sumptis, sensus genuinus à qvovis, etiam Idiota, erui possit.

II. Ast habes hic qvod mireris. Qvo castiore, qvo planiore, ac nulli non obvio sensu promulgatum fuit, eō iniquiores sui inventit censores, aliis hanc, aliis aliam explicationem ipsi affingenibus. Hinc factum, ut qvod ex instituto Servatoris, mutuum debebat esse caritatis Symbolum & Christianæ concordia tessera, a sperrimæ litis, odiiq; accerrimi materia exhibiterit. Qvamprimum enim (qvod hic notamus) humana curiositas modum indagare cœpit, non contenta verbis Dei nudè acqviescere, tot ferè sententiae prodiere, qvot inquisitorum capita. Cui tamen & hoc addendum, vix posse præsentiam corporis & sanguinis Domini in sacra cœna exprimi, qvin simul exprimi modus aliquis videatur; verbi causa, cum Cathechesis nostra habet, in, cum, & sub pane offerri & accipi corpus Domini, qvæ qvidem recte adhibentur, at non eā intentione, ur modum definiamus, sed solummodo ut revera præsens esse corpus & sanguinem demonstremus. De qvibus antequam prolixius agamus, ne confuse omnia tractasse videamur, nomina qvibus hoc Sacramentum variè à variis insignitur, præfari lubet.

III. Dicitur primo Mysterium absolutè, qvod res sit solum credenda & à captu rationis nimis qvam remota, qvæ vox non tam Græcæ qvam Hebraicæ originis esse videtur, à στόμα scilicet

A 2.

qvod

qvod Radicem τὸν latere seu occultum esse agnoscit. Dicitur
2. Synaxis seu collecta ob populi fidelis ad eam collectionem.
Dicitur 3. Eucharistia ἡ κατεύθεια τοῦ Φη, qvia super symbolis
pane & vino aguntur gratiae, qvod primum ex instituto Domini à
Presbytero, deinde totū sit fidei populo. Audit 4. sanctum
Domini, αὐτοὶ μετείδειοι, olim enim in minutis partibus panem be-
necium frangi moris erat. Audit 5. communio, qvod sit firma-
mentum qvoddam, communionis mysticæ, qvæ fidelibus secum
& Christo intercedit. Audit 6. desiderata, ob desiderium Cate-
chuimenorum de ea participanda. Præter hæc encomia & alias
sui appellationes habet, qvarum præcipua sunt, Liturgia & Missa.
Prior originem debet græco λειτουργίαν, id est, publicum opus ad-
ministrare, unde apud Philosophum l. 4. Pol. Magistratus, & qvi-
vis alii, negocium aliquod exercentes ex qvo ad publicum bo-
num possit iedire utilitas λειτουργία dicuntur. Par in divinis ratio-
in qvibus qvi ministerium circa res sacras obit, λειτουργία dicitur.
Hinc Liturgia, vel Jacobi vel Marci, qvæ apud Græcos exstat ni-
hil aliud complectitur qvām descriptiones ordinis in sacris ser-
vandi; ut sumnam vim voci huic à Pontificiis inferri, qvando per
sacrificium exponunt, vel cuivis pateat. Posterior vox licet anti-
qvitatatem redoleat, non tamen ab Apostolorum ævo semper in u-
su fuit. Inventa est ex communi Doctorum sententia circa fi-
nem seculi tertii vel paulò ante. Sunt qvi Hebraicæ volunt esse
originis, sed minus commodè. Rectius ii sentire videntur, qvi La-
tinam esse contendunt, vel ab oblationibus fidelium mensæ sa-
crae imponi solitis, derivatam, vel idem, cum απόστολus sive amissione,
valentem (qvam vocem à sacris gentilium ad sua sacra veteres fi-
deles accommodasse creduntur) Qvibus qvivis suam fulciant sen-
tentiam hic referre supersedemus.

IV. His ita in antecessum delibatis, ad ipsam Jesu Christi
cœnae tractationem nos accingimus, illam ita vel definientes vel
describentes: Sacra Cœna est actio à Servatore morti suæ proxi-
mo instituta, in qua, qvando benedictus panis accipitur & come-
ditur, modo humanas mentes prossus excedente, simul & uno a-

ctu

Et uero accipitur & comeditur verum substantiale corpus Christi, & quando benedictus calix accipitur & bibitur, simul accipitur & bibitur verus substancialis sanguis Christi, ut ita efficacissima instituatur mortis Domini commemoration, & hac ipsa fides, fideiq; pedissequa charitas quam maximè acuantur & roborentur. Quæ cum omnia fundamento suo scilicet Christi verbis innitantur, quæ unicè norma sunt, ad quam, quæ de hoc mysterio cognoscuntur, exigenda esse omnia, nemo temere negare ausit, firmo stare tali fusius inferius probatum ibimus.

V. Patet inde rationem hujus Sacramenti consistere in actionibus sibi invicem & qvidem continuo succendentibus, prolatione nimirum benedictionis & verborum, tum porrectione, acceptione, comestione, bibitione, vel quod brevius dici potest, verbis & rebus. Verba dicuntur consecrationis, quæ nihil est aliud quam actio qua symbola panis & vinum à vulgari usu eximuntur, & ad materiam Euchistie applicantur. Tota tamen institutio, non mutilata, adhibenda est ad benedictionem, contra quam faciunt Pontificii, quorum quidam limites excurrunt, quidam nimis angustis se cancellis continent. Ubi obiter nota Elevationem panis & vini benedicti apud Pontificios usitatam nostras non agnoscere Ecclesias, cum nec purior Ecclesia eum morem habuerit, & hostia potissimum ea de causa ab illis elevetur, ut pronus in faciem cadat populus & hostiam quasi transstantiatam pronus adoret. Multo minus vim aliquam inesse statuimus aliis sacrificuli gestibus, ut expansioni, complicationi, gestulationi manuum, inclinationi cervicis, conversioni corporis, transpositioni libri, crucificationibus & aliis similibus, præcipue vero consecratiōni sacerdotis, altaris, vasorum, vestium &c. quæ omnia taxanda sunt, ut ostendantur vera fundamenta, quibus maximum hoc mysterium nititur.

VI. Res & Terrena est & Cœlestis. Symbola, panem & vinum, Terrenum quid esse nemo ignorat. Et panem quidem fuisse Azymum constat, primo enim die Azymorum Servatorē Pascha suum celebrasse sacræ referunt paginæ, quod cum ex accidenti & proportione fuerit temporis perinde est, quo pane utamur, modo

non sit destitutus iis, qvæ de natura & essentia panis reqviruntur. Græcorum ergo de fermentati panis usu vacillat opinio. De vi-
no disceptatur num fuerit aqua permixtum nec ne? ubi quidem
probabile est fuisse, qvia in regionibus illis nascuntur vina gene-
rosa miseri solita. Pro certo tamen affirmari non potest, cum
nihil hujusmodi ex verbis Domini evinci queat. Sed qvod de A-
zymo & Fermentato dictum idem de hac mistione valeat. Tra-
himus huc qvoq; cœteros ritus indifferentes, qui circa hoc sacra-
mentum vel observari vel negligi possunt: è qvorum censu & il-
lud est, an ipse communicans panem & calicem manu sua sume-
re & ori admoveare, an verò ex manu ministri accipere sit obstri-
ctus? Prius Calviniani, posterius Pontificii afferunt. Nos nihil
hic determinamus, sed consuetudine qva qvæq; gaudet Ecclesias-
tandum esse arbitramur. Par esto judicium de tempore qvo fa-
cera cœna hæc celebranda, ubi quidem extra controversiæ aleam
est, Servatorem nocte satis profunda(ita tamen ut ad medium usq;
noctem nondum perventum fore) hoc sacramentum instituisse,
qvod tamen cum ex accidenti factum, qvod Pascha citius lege ob-
stante non posset comedi, nec diutius proditione imminentे dif-
ferri, à nobis ut observetur nullius est necessitatis.

VII. Hactenus res Terrena. Cœlestem qvod spectat, dici-
mus contenti Christi effato adhærere, una actione qvando panis
& vinum sumitur adesse & sumi verum corpus & sanguinem Chri-
sti, qvicq; heretici cum antiqui tum novi etiam hic oggani-
ant. Argumentum qvo nostram stabilimus thesin sit tale. Qvic-
qvad Salvator eos qvibus panem & vinum benedictum dedit, e-
dere & bibere affirmavit, hoc illi qui mandato ejus obsecuti sunt
ederunt & biberunt. Atqui corpus suum & sanguinem pro nobis
effusum, eos qvibus panem & vinum benedictum dedit, qviq; jux-
ta mandatum ejus de eo participarunt, edere & bibere affirmavit.
E. Majoris veritas per se constat: Minoris probatio firmissima
depromittur ex verbis Domini: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis
meus.* Hæc verba propriè, hoc est ita ut sonant, & eo sensu qvem
nativa vis verborū in intellectu nostro gignit accipienda esse jubet
infallibilis scripturæ autoritas, jubet unanimis consensus sive har-
monia

monia Evangelistarum & S. Pauli. Certe quatuor hi diversis temporibus, alius post aliud sacramenti hujus institutionem exceperunt calamo, quibus id semper solenne fuit, ut etiam in rebus non admodum necessariis, quicquid ab altero obscurius perscriptum fuerat, alter explicitet; In re ergo tanta quia hujus nihil factum esse videmus, ejusmodi quid subesse statuere, ultima absurditatis fuerit linea.

VIII. Quid ex ipsis rei indole quam Salvator hic tractat literalis sensus optimè defenditur. Quid enim hic causæ subest, quæ ratio, cur à reipsa ad figuræ decurras? Certe dogma hoc fidei nostræ novi erat, nullibi ante propositum: summæ ergo necessitatis erat, ut verbis quam maximè fieri poterat, propriis traderetur. Deinde & hoc minoris nostræ veritati stabiliendæ inservire poterit. Qvod summæ misericordiæ Jesus in instanti passionis suæ ultimo ultimam hanc sui voluntatem esse voluerit. Paciscetur scilicet cum discipulis suis de æterna hereditate, relinquentia iis, qui in cultu obsequio & cœteris quæ ad sui honorem spectant non negligentes futuri essent. Non aliter ergo erat conveniens, quam sermone claro, perspicuo ac simplici hæc hereditibus explicare. In testamentis hominum consignandis nemo tam infans est, ut quæ à morte sua præstari velit colorato & ambiguo sermone exhibeat. Qvis ergo de Servatore nostro hujusmodi quid cogitare vel animum inducat? Certe nihil magis discipulis suis morti proximus inculcavit, quam ut pacem colerent. Absit ergo eod impietatis devolvamur, ut ponamus eum in sanciendo hoc testamentum aliter quam dispositum pronunciasse, vel aliter dispositum quam pronunciavit, & ita litis, errorum, aliorumque; incommodorum ansam præbuuisse.

IX. Nihilominus tamen licet hæc adeò clara, adeò unanimiter ab Evangelistis annotata, ut non immerito de homine ulterius in hoc inquirente, usurpari illud Poetæ posset: Ostendi sole postulat ille sibi; dantur ejusmodi qui à verò & genuino sensu scripturaræ recedentes ad figuræ concurrunt, suisque; non solum sibi ineptiis placent, sed & nobis eas obtrudere omnibus conantur viribus. Totam certaminum historiam pagella nostra non capit, quomodo scilicet

scilicet & qvibus auctoribus ab ipsis usq; Caroli M. temporibus
hæc pugna deducatur. Verbo notasse sufficiat, rarescentibus se-
culi Pontificii tenebris, sub ipsa reformationis exordia in Saxoniam
item hanc recruduisse autore Carolstadio, qvi Patronos opinio-
nis suæ in Helvetia invenit Zwinglium & Oecolampodium, qvos
secuti deinceps memorantur Calvinus, Martry, Bucerus, & alii.
Sed videamus qvām egregiè suām illi opinionem stabiliant, sane
tantum abest, ut argumentum nostrum superius allatum infrin-
gant, ut potius ex suorum insigni inconstantia & discordia nostra
syloge immota maneat non secus ac ad surdos æqvoris fluctus o-
lim Marpesia cautes.

X. Carolstadius qvem tubam hujus certaminis diximus
verba Christi : *Hoc est corpus meum*, sic exponit : *Hoc* (qvod digito
meo indice hic sedens monstratur) *est corpus meum*. Profecto
ita interpretē agere est splendidē nugari. Hoc enim modo Sal-
vator nihil dixisset aliud, qvām de quo nemo discipulorum qvia
in sensu incurrit dubitare poterat. Et quid fieri de *τὸ τὸ* *Et* aggredi-
qvid de verbis : *Hoc est sanguis meus?* Zwinglius *τὸ τὸ* *Et* reddit, sed verbum hoc prout est simplis-
simæ significationis nihil minus sustinere valet, qvām tropum.
Videatur Philosophus 5. Met. c. 6. Occurrere qvidam conantur
huic Aristotelis loco objectione de prompta ex Genesi, septem vac-
cæ sunt septem anni, cuius gnomes sensum hunc dicunt esse, se-
ptem vaccæ significant septem annos, sed hoc ipso sit, ut qui san-
cta Rhetorum Scyllam scil. naufragam metuunt, non minus ex
adverso latere Charybdin ipsa videlicet prima Logicæ elementa
incurrant. Dantur præterea (ut id de Johanne Campano B. Luther.
scribit) qui in pronomine *Meum* qvicquam præsidii qværunt, dum
ex verbis, *Hoc est corpus meum*, hujusmodi sensum prodire faciunt:
Hic panis est corpus à me factum & creatum. Equidem panem &
vinum esse creaturem Dei, & à Deo creatas nemo negat, huic tamē
absurdo lenocinari velle fere desipientis est, qvis n. vel panem pro
nobis datum vel vinum pro peccatis nostris effusum dicitet? *τὸ*,
Meum nihil indigit aliud, qvām Christum, corpus suum, non alienum,
Physicum, non *Ecclesiasticum*, *Proprium*, non *mysticum* tra-
didisse

didisse pro peccatis totius mundi, ut pro iis crucifigeretur & moreretur. Oecolampadius tropum in prædicato corpus constituit, cuius ductui Calvinus, & pleriq; alii, se accommodant. Qvorum expositio qvomodo se habeat videbimus.

XI. Valent eorum sensu verba, *Hoc est corpus meum*, idem qvod; Panis est corpus Christi per analogiam proportionis: qvem admodum pane corporis vita temporalis sustentatur & nutritur, ita corpore Christi spiritualis vita animæ. Sed expositionem hanc valde violentam esse, & minimè hic locum invenire, seqventia dabunt. Primò id procul dubio est, præcipuum hujus de S. Cœna participationis finem esse, ut memoriam mortis & passionis Dominicæ, animis nostris excidere vetet. Qvod si jam panis & vinum, symbola duntaxat corporis & sanguinis, sint Dominicæ, majori jure Evangelicæ prædicationi, vel cuivis crucis imaginis, præsertim si adscripta referat verba; Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, hic titulus debetur, magis enim & majori efficacia exprimunt passionem Domini, qvam nudum, aut inane aliquod signum. Nemo tamen, cù de ratione, qvam diximus, Evangelium vel crucem, corpus appellat, multo minus ergo propter eandem panis vel vinum ita audient.

XII. Deinde & nullib; corpus Christi (qvoties nude ponitur) in sacris literis, aliter, qvam pro vero & naturali ejus corpore ponitur. Mystici si quando mentio fit, differentiæ notam sibi annexam habet, qvod loca huic facientia clare evincunt. Qvis ergo huic ejusmodi sensum detorqeat, cuius alibi in scriptura prorsus nullum invenit? Modus porro iste loqvendi, non solum ab usitata loqvendi ratione alienus, sed prorsum contrarius existit. In figuratis locutionibus, cuius proprietas exprimi gaudet, loco prædicati ponitur. Sic qvem animosum judico, Leonem, qvem astutum vulpem appello. Sic Christus dicitur vitis Johan. 14, 1. panis vita Joh. 6. 31. Si itaq; Salvator noster, innuere voluisset per corpus alimoniam spiritualem, dixisset utiq; corpus meum est panis, & sanguis meus est vinum. Sed hic omnia habes contraria, qvod textum inspicienti patebit.

XIII. Ipsa qvoq; determinatio Christi verbis addita non
B permit-

permittit, ut eo capiatur sensu. Hæc ita habet: *Corpus quod pro
vobis traditur, Sanguis qui effunditur, qvæ qvia ipsius rei adfirmatæ
veritatem respicit, absolutè qvoq; & secundum usitatum loquen-
di modum præcedentis adfimationis explicanda est. Manifestè
tandem falsitatis hanc expositionem arguunt illa Pauli 1. Cor. 10.
v. 16. Τὸ πότιον τὸ διαγένετο εἰς τοντονία τὸ κύριον
τὸ κατεύθυντο. Evidentius quid sane dici non poterat. Col-
ligimus inde, si panis & vinum nuda tantum sunt signa, falsò
de iis prædicat Apostolus, qvod qvi iis ut cibo spirituali fruatur,
particeps fiat sanguinis & corporis Domini. Sed absurdum est
posteriorius, ergo & prius. His insuper robur ex Antiquæ Ecclesiæ ri-
tibus conciliari posset, qvi summa semper diligentia curarunt, ne
qvid sacramenti hujus ullo modo in terram decideret, qvi mos eti-
amnum in aliquot obtinet nostrarum Ecclesias, ut pueri à latere
distribuentis stantes linteum aliquod explicatum teneant, si qvid
forte decidat excepturi. Qvo panem & vinum sublimius qvid
esse, qvā nudum signum, probabiliter satis declaratur. Sed
cum adeò certa, adeò perspicua sint, qvæ attulimus, his immora-
ti supervacaneum esse remur.*

XIV. Nolumus qvidem diffiteri in ipsa cœnæ Dominicæ
institutione reperiri tropos. Sie cum dicitur: τὸ πότιον τὸ διαγένετο
τὸ κατεύθυντο τὸ αὐγαντίου, locutio est figurata, continens
sc. pro contento ponitur. Sed hæc adeò usitata, adeò nota est, ut
qvivis sine obstaculo eam intelligat. Accedit, ut, qvæ S. Lucas
& Paulus figurato fortassis sermone protulerunt, apud Matthæum
& Marcum simplicissimis verbis explicata legantur. Interim si
sint qvi hæc ulterius urgere ament, voculam Testamenti non ad-
modum frequentatam esse statuentes, iis reponimus, concessio hoc
illuc contineri aliquid infreqvens, id Latina phrasis non Hebraica
vel Aramaea sibi vendicat. His enim nihil frequentius qvā ef-
ficiens ponи pro effectu, qvod norunt ejus literaturæ periti. Sen-
sus ergò verborum: *Hic calix est novum testamentum, evadit talis,*
*qvod ex hoc calice bibitur, constituit & fundat Novum Testa-
mentum.*

XV. Ad-

XV. Adversarii his convicti, corpus quidem & sanguinem Christi edi & bibi concedunt non tamen realiter, sed solum mediante fide. Td edere & bibere, sensum, inquit, habent proprium, si ad panis & vinum referantur, fin ad corpus & sanguinem Domini, nihil aliud quam credere designant, fidem enim efficere, ut absentia sint praesentia. At qui haec audis, intimius perpende, vim inferri dictis facile advertes. Taceo vix fieri posse, ut una eademq; vox, semel ac simpliciter prolata, tam diversis significationibus sit obnoxia. Taceo quod nusquam apud sacros vel profanos autores, tò edere per credere exponi videoas. Firmiora sunt quæ regeri possunt. Si edere & bibere nihil aliud denotat, quam credere, ad quid opus est pane & vino? etiam sine his quo-vis loco & tempore fide manducare corpus, & bibere sanguinem Christilicet, (quod tamen non sit propriè, sed metaphorice) de nihilo ergo & nullius plane usus fuisse hanc institutionem Domini, haec qui affiras, confiteri necesse habes. Id verò sine ingenti peccato commisso, fieri nequit. Quid enim magis docent S. literæ, quam Salvatorem frustra vel inane fecisse nihil? Tum quoq; effatum hoc, Fides facit absentia esse realiter praesentia oppido falsum, imo absurdum est, eā enim ratione, Filii Dei incarnatione, passio, resurrectione &c. quam fide tenemus, verè praesens esset, cum tamen præterierit. Eadem seqvela hinc inde deduceretur, resurrectionem mortuorum, mundi consummationem, extremum iudicium, cum nondum sint, sed futura indubitate fide credantur vere praesentia esse. Porro falsitatis ipsa scriptura argueretur, quando dicit, patres credidisse in Messiam venturum, cum eorum sensu, fide omnia sint praesentia.

XVI. Contradicunt huic expositioni quoque illa Paul. 1. Cor. II, 27, quando serio monet, ut quisq; seipsum exploret antequam de pane illo comedat, & de poculo illo bibat, ne indigne edens & bibens, sibi edat & bibat damnationem, quæ verba manifestè pronunciant, indignos [quos fide & spiritu communicare nemo dixerit] vere edere ac bibere corpus & sanguinem Domini, imò damnationem incurrere, quod irreverenter illa edant & bibant. Solent & à nonnullis hic annotari verba Christi Johan. 6.

ubi agit de manducaⁿe carnis, & bibitione sanguinis sui, ad
quæ Judæi, cum non caperent, qua ratione id fieri posset, ad incre-
dulum illud quomodo confugunt; Potuisse hic inqviant, pau-
cissimis verbis eos Dominum absolvere, ita exponendo; carnem
suam manducari non ore, sed fide: contrarium tamen elici, ser-
vatorem in sua sententia permanere, & sancte asseverare rem ita
fese habituram, Αὐτὸν ἡμῖν (verba sunt Christi) λέγω ὑμῖν ἐστι μὴ
Φάγετε τὸν Καρπό τοῦ Ιησοῦ πίντε αἵτε τὸν αἷς γα, τὸν ε-
χετε ζεῦτα ἐν εἰωνῷ. Fuisse sane permultos etiam ex discipulis,
qui hac Christi in dicendo perseverantia scandalizati fuerint, suc-
currisse igitur servatorem discipulis suis vel unico verbo, quod a-
lias in mysteriis eum fecisse liquet, nisi simpliciter, ut pronuncia-
vit intelligi voluisset. Sed cum plerique; Theologorum nostrorum,
locum hunc de sacramentali carnis Christi manducaⁿe, & sa-
cramentali sanguinis ipsius bibitione non agere evincant, nostrū
hoc non facimus. Sufficit non posse non vitiosam esse hanc ex-
positionem, quâ tollitur omne, quicque abstrus & incomprehen-
sibilis hoc mysterium in se habet. Illo enim sensu, non erit in hoc
sacramento, quod hominis captum excedat. Cui tamen ne ipse
Calvinus adstipulatur, qui sacramentum hoc mysterium esse ait,
eui nec mens plane cogitando nec lingua explicando par esse pos-
sit.

XVII. Summa vis argumenti eorum, qui à genuino hujus
sacramenti sensu abeunt, in impossibilitate consistit, ob quam fieri
posse negant, ut in pluribus locis in quibus S. Eucharistia confici-
tur, simul & semel verum & reale sit corpus. De ubiquitate corpo-
ris Christi, quam controversia hæc plerumque; secum trahit, ne forte
extra oleas vagati videamur, nunc loqui nolumus, firmâ id ap-
prehendentes fiducia, Christum in omnibus locis, ubi S. Euchari-
stia in terris celebratur, per omnipotentiam, quâ pollet,,
posse revera corpus suum realiter sistere & manducandum exhibe-
re. Audit יְהוָה Deus qui sufficiens est, qui וְעַמְּךָ תִּזְבֹּחַ fac-
cere potest, qui ad quævis effectui danda omnimodam cum quad-
dam redundantia habet sufficientiam, qui quæ hominibus videntur
ad uis-

aduātū reddere potest *dūam*. Et qvid est qvod huic suæ opiniōni tam pertinaciter adhæreant, cum illustre testimonium ferat ipsa scriptura, jam dudum post sui in coelum adscensionem, Christi corpus forma aspectabili, à Paulo visum esse, qvod verum fuisse, non apparentem qvandam speciem, inde colligitur, qvod se oculatum testem resurrectionis Dominice appellat. Concessō jam primum, Dominum simul & semel fuisse duobus in locis, etiam multis ac diversis id fieri posse, per divinam omnipotentiam fatendum erit. Neq; est ut objicias, supernaturali virtute Pauli, ut deinceps Stephani Oculos, supra omnes cœlos elevatos fuisse, cum circumstantiæ textus inspectæ, id aliter se habere facile evincant. Sed nolumus his prolixius adhærere, ne dum nimis accurate adversariis occurrere satagimus, in incommidas feramur locutiones. Qui ostensæ veritati cedere recusant, qvod modus, qvo hoc fiat, eos lateat, ii mente volvant, qvid futurum sit de omnibus articulis fidei, Trinitate scilicet, Incarnatione, Resurrectione &c. Sane si hæc qvoq; eadem libidine adoriri foret licitum, qvid miseris nobis de religione nostra futurum esset residui? Rationem captivandam esse in spiritualibus credēndis, non uno loco sacer Codex ingeminat. Cui si non renitimus, optimè nobis nostræq; æternæ saluti consulimus.

XVIII. Supersunt etiamnum qvædam contra simplicem acceptiōnem objectiones, qvarum meminisse, anteqvam hinc abeamus, non abs re erit. Palmaria & vel nulli non ignota est illa qvam ab analogia sacramentorum deducunt, sacramentis proprium esse contendentes, ut nomen ipsius rei signatæ signo tribuantur, qvod tamen alicujus esse ponderis haud meretur. Doctrina in genere de Sacramentis ex sacris literis firma exstrui nequit, nulla generalis norma, qvæ omnibus communiter applicetur deduci; sed de singulis ex singulorum institutione, ut vernaculo eorum principio est judicandum. Nec quadrat huc, qvod ut plurimum adduci solet de agno mactato, qvem nomine ἄρνη, sive paseha, id est, transitus Domini venire dicunt, & ita ejus signum agnum esse: ad qvod reponimus, qvando à Deo jubetur agnus capi, mactari, & sanguis superliminari & postibus ædium illini, ea

propriè de vero agno accipienda esse: neq; ita signum esse transitus Domini, sed medium potius procurandi transitus, sive suo quodammodo causam, qvæ Dominum commoveret, ne permetteret percussorem Israelitarum ædes ingredi.

XIX. Post hæc ex illis verbis Domini: *Hoc facite in mei commemorationem*: rerum absentium, & procul positarum, non præsentium, symbola & commemorationem esse volunt, teste Aristotele, qvi libr. de Memor. c. i. memoriam non nisi rerum præteriorum & absentium esse ait. Sed falluntur. Dei meminisse jubemur, non tamen inde inferre licet, eum abesse à nobis. Vallet id de iis, qvæ ab exteriore sensu visu nimirum percipiuntur, quorum propriè per symbola haud commoneamus, secus est, si res præsens sit, visum tamen non incurrat, cuius & symbolum dari & commemoratio ritè potest institui. Sic arca fœderis & nubes, in deserto erant memoriale Dei non absentis sed præsentis. Sic in N. Testamento Spiritus S. super Apostolos effusus illis præsens erat, quam præsentiam notabat symbolum linguarum ignitarum. Qvod si quis ulterius in præsentia modum velit inquirere id qvod thesi secunda dictum, hic repetimus, valde id esse periculosem; optimum fore, si dicamus nos substantiam corporis & sanguinis Christi in cœna præsentiam ideo credere, qvia novimus à Christo omnipotente & fallere nescio in institutione hujus Sacramenti id affirmatum esse. Operæ pretium erit, ascribere hic verba doctrinæ & judicio incomparabilis Chemnitii, qvi in Exam. Concil. Trid. de Reali præsentia Domini nostri Jesu Christi in Eucharistiæ Sacramento ita habet: certum modum illius præsentia non definimus, sed eum humilitè commendamus sapientia & omni potentia Dei. Non statuimus Physicam seu Geometriam, crassam & carnalem rationem præsentia. Non disputamus de locali inclusione: nec de descensione, vel ascensione corporis Christi. Et breviter, non sentimus corpus Christi in cœna adesse modo aliquo, seu ratione naturali hujus seculi.

XX. Demum & illa eorum argumentatio fundamento alicui inniti videtur, quam ex verbis Salvatoris Luc. 24, 39. struunt, qvi discipulis se palpandum sicut. Ubiq; inquit, corpus humanum,

manum est, illud sensus externos visum & tactum incurrit. At
in Eucharistia corpus Christi nec videtur, nec tangitur. Ergo.
Majorem ipsamet Salvatoris verba esse volunt, quam tamen hoc
modo inversam demum firmam esse dicimus: Qvod contrectatur
& videtur illud est corpus &c. Et ut respondeamus ad argumen-
tum, nihil eo evincunt Adversarii. Corpus enim substantiam es-
se nullus pugnat, substantiae autem per se non competit, ut pal-
petur & videatur. Objecta visus & tactus, accidentia sunt, quæ
divina potentia removeri, nostrisq; sensibus eripi posse piè credi-
mus. Ejusdem momenti & illud est, quando hoc Christi: *Caro*
non prodest quicquam; de ipsa Christi carne & humanitate perpe-
ram exponunt. Eo ipso qvippe Nestorio, qui hoc loco jam olim
abusus, nolentes volentes sese aggregant. Prisci Eccles. Doctores,
carnem hic exponunt per carnalem hominis sensum & naturam,
quæ humi semper repens, spiritualia & quæ captum hominis exce-
dunt, capere ignorat. His probe persensis, facile quoq; illud e-
orum diluitur, quo mandationem corporis Christi oralē, quam
Lutherani urgemuſ, nihil à mandatione Capernaitica differre,
plus quam ausu nefario astruere conantur. Ea enim quantum
discrepet à Sacramentali, ex ipso Johannis contextu solidissimè
demonstratur. Volebant illi, carnem Christi esse meri homini-
nis carnem naturali ac vulgari prorsus modo comedendam, imò
absumendam comedione, quæcum absurdia, & à sacramentali
mandatione quam diversa sint, uberiori refutatione indigna-
censentur. Concludimus ergo, non esse non periculosum, clara
Servatoris verba in alienum & impropprium sensum torquere velle.
Posito enim errare nos, (qvod tamen quomodo dici possit non vi-
demus) excusatio, si forte de eo Servator querat, in die judicii non
longe petenda erit; nos scilicet à genuino sensu recedere noluif-
fe, qvid verò de iniquis verborum Domini interpretibus futurum,
quidq; responsuri sint, de hoc illi videant.

XXI. Restant adhuc liticulae, quæ nobis cum Calvinianis
intercedunt, quas ut silentio involvamus, impetrare à nobis non
possimus. Pro fractione panis mirum est, quomodo militent;
panes orbiculares à nostris adhiberi elamitant contra institutio-

nem Christi, cum non sint veri panes & ad corpora hominum a-
lenda inepti, panem adhibendum esse grandem, qui ad exemplum
Christi frangi possit. Ad quæ regerimus, panem, qui in nostris Ec-
clesiis adhibetur, omnino verum esse, cum habeat materiam, for-
mam, & accidentia panis, nec turbat nos, tantæ quantitatis non
esse, ut nutritioni inserviant, qui novimus, sacram cœnam hanc
institutam esse ob satietatem & alimoniam corporis. Fractionē
in iis quidem non damnamus, quod si tamen illi nos condem-
nent, iniquè fieri sic ostendimus. Fractio panis adhibita est, non
propter se, sed propter aliud, ut eo commodius posset distribui &
manducari, quæ actiones cum à nobis haud intermittentur, man-
datum Christi explere summo jure dicimur. Cui id quoq; adde:
pani Judaico imprimis forte fractionem competere, cum נַדְבָּשׁ
apud ipsos frumentum audiat.

XXII. De Eucharistia, quæ in locis & domibus privatis æ-
grotis administratur, quoq; controverti solet; pertinatores Cal-
viniani eam improbant, eo quod missas omnes oporteat esse sole-
mnes & publicas. Nos tamen, ne ægri hoc necessario viatico de-
fraudentur, missas hoc sensu privatas rejicere non possumus, præ-
fertim cum & optimos quosdam & antiquos Ecclesiæ Doctores,
quod id è re esse videretur, idem factitasse sciamus. Nec Refor-
mati omnes adhuc tam rigidi. In Helvetia enim & Anglia aliter
obtinere notum. Huc etiam non obliquè pertinere videtur illa
quæstio, an necessitatis tempore laico non idem circa Euchari-
stiæ Sacramentum liceat, quod circa Baptismum illi licere omnes
fere concedunt? Ad id respondemus ex communi omnium Do-
ctorum ore ac sententia, tantam sacræ Cœnæ participandæ neces-
sitatem non esse, quanta est Baptismi, ideoq; Sacramenti hujus
administrationem Laico non permitti. Baptismus enim est Sacra-
mentum, quo spiritualiter vivere incipimus, quodq; semel tan-
tum, non iteratis vicibus est suscipiendum. Eucharistiæ vero jam
regeniti nutrimur, & magis magisq; secundum hominem inter-
num roboramur, fidesq; nostra ac charitas adolescunt, & majora
semper ducunt incrementa, quæ causa est cur frequens ejus iteratio
instituatur. Quod si jam homo spiritualis illius cibi jam ante-
parti-

particeps factus tali loco degat, quo eo potiri non possit, tum non
ejus fruitio ita necessaria judicanda est, ut deficiente ministro or-
dinario à quovis alio sanctum hoc epulum illi parari ac dari debe-
at: poterit quippe ex præterita corporis & sanguinis Dominicæ
fruptione solatum capere, fidemq; suam baptismi cum primis, &
divini Evangelii promissis firmare.

XXIII. Hactenut contra Calvinianos. Nunc ad contro-
versias Pontificiorum. Hæ sane non minores quam illorum, de
tribus tamen præcipue controverti solet. Primum nobis erit de
sacrificio Christi in cruce oblato, quod semel in iterabile esse
contra Pontificios affirmamus, qui docent, Christum denuo, mo-
do tamen incruento, à sacerdotibus immolari suoq; offerri Pa-
tri, ut sit sacrificium proprium & propitiatorium pro peccatis non
solum vivorum, sed & mortuorum nondum sufficienter purgatis.
Alterum ab hoc facimus Transubstantiationem, qua credunt, con-
secrato pane & vino, substancialiter corporis & sanguinis Christi in
eorum transire substancialiter, superstitibus & sensibus exter-
nis non nisi obviis accidentibus. Tertium est de sumptione cali-
cis, quam Laicis subtrahunt, sive, ut vocant, communione sub una.
In singula si non exesse, neq; tamen perfunctoriè inquirere placet.

XXIV. Sacrificium verum proprium & strictè sic dictum
passionem & mortem Domini esse extra dubii aleam positum est;
& præter alia id evincunt voces Græcæ & Hebrææ homonymicæ.
Θυσία, quæ communi sensu interpretum sacrificium audit, à **יִצְבַּח**
mactare, sacrificare, & **תָּבִרְכֵּנָה**, quod per occidit animal, &
quidem frequentiori sensu, in sacrificium, exponitur, ut de intrin-
seca sacrificii ratione sit, includere cædem animantibus. Unde ejus
definitionem damus talem; sacrificium strictè sumptum est im-
molatio animantis, facta à sacerdore in Dei cultum & obsequiū,
juxta Dei ipsius voluntatem & præscriptum. Quando jam Ser-
vator semetipsum pro peccatis nostris obtulit, munere Sacerdo-
tum functus fuisse colligitur, quoniam id muneris, à nemine alio
ritè obiri poterat. Sed uti ingens est discrimen inter Dominum
nostrum Summum Pontificem, & veteris Testamenti Pontifices,
sic quodq; inter Sacrificium oblatum insignis est discrepancia. Ab
illo



illo ut imperfecto iteratio reqvirebatur. Ab hoc plane removetur. Videatur Epist. Pauli ad Hebr. cap. 7. v. 27. cap. 9. v. 12. ex quibus satis luculenter sententia nostra defendi potest, non dari in Ecclesia sacrificium, qvod cum sacrificio in cruce oblato specie idem sit. Qvod si vero à propriâ sacrificii ratione ad latas ejus derivationes recedere velis, utraq; largimur manu, multas dari, qvarum ratione sancta Eucharistia sacrificii nomine veniat.

XXV. Sic qvemvis cultum etiam N. Testamenti cum internum tum externum à scriptura vocabulis hostiæ, sacrificii, describi notum est. Sic qvævis officia caritatis proximo exhibita Hebr. cap. 13. v. 6. imò qvodvis bonum opus quo corpora & animos nostros exercemus, ut Deo serviant, juxta illud Pauli Roman. 12.
Παρεγγέλω υμᾶς παραγένεσιν τὰ Λανθάνουσαν Ιωάννου ζώουσαν,
διάπεσσον τῷ Θεῷ. Sic gratiarum actiones, piorum preces Hebr. cap. 13. v. 15. & aliis locis, sacrificia vocantur. Qvibus dum à patre per filium qvid precamur, patri filium offerimus. Hac ratione, imò etiam potiore, Eucharistiam sacrificium dici posse, non negamus. Sacrificisq; qvippe Vet. Testamenti, imprimis victimæ paschali, successisse Eucharistiam, nullum est dubium, pari modo, ut circumcisionis loco Baptismus substitutus legitur. Evincit id qvidem, Eucharistiam secundum qvandam allusionem sive allegoriam, & qvidem insigniori titulo qvam preces in genere sic dictæ, id nominis obtinere. Nulla verò seqvela propriè sic dici deducitur, uti nec Baptismus est, propriè circumcision, qvamvis ejus locum suppleat. Adde in veteri Ecclesia receptū fuisse, ut à populo panis & vinum tum in Clericorum & pauperum alimenta, tum etiam in materiam administrandæ Eucharistiae offerrentur, hinc symbola illa offertoria, & latè sacrificia vocitata sunt. Qvantum & illud hic notari possit, nos, qvia in cœna Dominica verè præsens est, & qvando editur panis, editur idem corpus qvod olim in cruce pependit, & qvando bibitur vinum, idem bibitur sanguis pro peccatis nostris effusus, capere sacrificium materialiter, & ita idem numero sacrificium in Eucharistia esse qvod fuit in cruce.

XXVI. Pontificiiverò his nondum acqvescentes, sacrificium accipiunt formaliter, pro ipsa scilicet sacrificandi actione, & hoc

hoc est, cui sacris literis innixi contradicimus, nullam esse stantientes oblationem in Eucharistia, qvæ cum illa in cruce, vel genere, vel specie conveniat. Oblatio enim ea per veram rei vivæ immolatæ, piissimi nimirum Salvatoris, passionem & mortem facta est, qvod est de essentia sacrificii propriè sic dicti, uti ex definitione liquet. Memorativum sacrificium quidem dici, (vocabulo sacrificii latè sumpto) permittimus. Minimè proprium. Sicut fractio panis, effusio vini, imò ipsa mystica eorum sumptio, non est verus cruciatus, vera mors Domini, ita nec in Eucharistia esse potest sacrificium strictè ac propriè sumptum, qvia ubi verum est sacrificium ibi animal occidi, sive rem qvæ sacrificatur qvæ substantiam suam destrui oportet. Sed ne verba protulisse videamur, argumenta eorum, qva potest fieri brevitate, & quidem qvæ habent fortissima, expendemus.

XXVII. Insigne illud esse creditur qvod ex Daniele cap. 8. & 11. texunt; ubi de Anti-Christo dicitur, eum ablaturum juge sacrificium. Colligunt inde, qvia id non potest intelligi de orationibus aliisq; spiritualibus sacrificiis, ut qvæ per externam vim pii auferii nequeunt, ergo intelligendum esse de Missæ sacrificio per ministros Anti-Christi in N. Testamento abrogando. Consequentia sanè admodum larga & liberalis. Certum est, Danielis vaticinium propriè concernere impiam & sceleratam Antiochii Tyrannidem, qvi totum cultum Leviticum in Ethnicas superstitiones commutavit, sicut ex historia Maccab. videtur est. Quando igitur locus ille de Anti-Christo explicatur, sit id per allegoriam. Ex allegoris aurem non esse facienda dogmata, qvæ non habent certa firma & perspicua in aliis scripturæ locis testimonia, constat.

XXVIII. Deinde operosi sunt in extorquendo arguento ex ipsis verbis institutionis cœnae Dominicæ, ubi verba, Hoc est corpus meum, extra controversiam de sacrificio loquentia, à Servatore in præsenti poni dicunt, & proinde eum non in cruce tantum, verum etiam in cœna Dominicæ sacrificasse corpus & sanguinem suum. Nos, quando, & ubi, corpus Christi pro nobis ad redemptionem sit traditum, & sanguis ipsius in remissionem peccatorum effusus, ex scriptura discimus. Præsentis temporis usurpatio,

tio, minime id qvod illi volunt efficit, qvia usitata admodum est
Enallage temporum in scriptura, non modo praesentis, sed & prae-
teriti pro futuro, propter certitudinem. Et in cena hac per praes-
ens tempus Dominus locutus est, qvia jam tum erat in ipso actu
passionis, qvæ postea consummata est in cruce. Porro argumen-
tationem necunt ex natura hominum, omnibus scilicet gentibus
à natura hoc dictari, ut in religionibus suis visibile aliquod sacri-
ficium exigant, eaq; de causa, Christum à lege naturæ admonitum
missæ sacrificiū instituisse. At frivolum hoc est. Qvis n. ex eo qvod
natura peccato excæcata & depravata dicitur, in causis religionis &
fidei judicandum, aut statuendum aliquid ducat nisi aperte insa-
niens? Principium cui nostra religio innititur, præter hoc agnoscim-
us nullum; Quidquid scriptura dicit id infallabiliter verum
est. Hanc cum Davide lucernam facimus pedibus nostris.

XXIX. Denique, prægrande, & ultimum quasi præsidium
sententiae suæ stabiliendæ in eo collocant, qvod Figura Melchise-
dech debuerit in veritate impleri in Sacerdotio Christi, quem sa-
cerdotem esse secundum ordinem Melchisedech, non uno loco
sacer Codex inculcat. Melchisedech, inquit, obtulit Deo pa-
tri panem & vinum, ergo oportuit & Christum offerre Deo Patri
non tantum panem & vinum, sed ut veritas figuram impleret, sub
speciebus panis & vini corpus & sanguinem suum, id qvod nulli-
bi qvam in cena fieri potuit. Reponimus Nos; propositionem
hanc, Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech
veram esse, qvia scriptura id affirmat. Nec jam de ea, sed illis qvæ
huic attexuntur nobis controversia est: An scilicet Melchisedech
sacrificaverit Deo Patri panem & vinum in illa historia, qvæ Gen.
cap. 14. describitur, & an sacerdotium Christi in eo consistat qvod
in cena corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini sa-
crificarit Patri? Moses vocabulo ~~אַלְעָזֶר~~ utitur, cuius formalis
sensus est depromere, producere. Idq; secundum Josephi inter-
pretationem, ad refectionem exercitus Abrahami factitasse dici-
tur. Neq; seqventia in textu ita exponenda: Erat enim Sacer-
dos, ideo obtulit panem & vinum, sed ita, & erat sacerdos & be-
nedit, ut sententia distribuatur, ac sensus prodeat talis: Qvia
Rex

Rex erat ideo protulit panem & vinum, & qvia sacerdos, ideo benedixit. Jam, sponte sua argumentum hoc Pontificiorum corruit. Adde ; etiamsi concederetur Melchisedech obtulisse panem & vinum, ex figuris haud esse fabricanda dogmata sine certa & manifesta scripturæ explicazione. Plura qvi volet argumenta, eaq; refutata, videre, ante laudatum Chemnitium consulat in Examene Concil. Trid. de Missa Pontificia, qvo & in his recensendis usi sumus ; deprehendet Adversarios, qvocunq; etiam modo suam sententiam defendere allaborent, nihil aliud obtinere, qvam figuratum & impróprium sacrificium in Eucharistia esse, qvod illis concedimus. Et hæc de primo.

XXX. Jam ad Transubstantiationem. Peceant hic Pontificii in excessu, non minus graviter ac ante in defectu Calviniani, qvando ad Eminentiam Presbyteri, & Pontificis autoritatem stabilendam, docent, ad verba consecrationis à Presbytero prolatæ, transire substantiam panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi, solis residuis & in sensus incurrentibus accidentibus sine subjecto. Cœpit dogma hoc, novum & inauditum antea, seqvioribus demum seculis tractari, & qvidem ex communis Doctorum sententia post medium seculi XII. cum ambitio Pontificum in dies augesceret, hocq; plurimum ad dignitatem Antiftitum & Cleri facere videretur. Hinc negantibus Anathema dicere, eosq; secularibus potestatisbus animadversione debita puniendos tradere ausi sunt Pontifices. Unde tanta immunitate in miseros desævitum est, ut multi ab officiis deturbati, bonis exuti, solum vertere coacti, imo prorsus concremati sint, qvæ cum omnia melius ex historiis peti possint, eò lectorem remittimus.

XXXII. Ansam intuper præbuit hæc doctrina innumeris figmentis excogitandis, corpus scilicet Christi (intellige panem consecratum, qvi eo nomine veniebat) aliquoties ad moribundorum (qvibus præ imbecillitate, spirituali hoc cibo vesci non licebat) usq; corda multis videntibus penetrasse, loco per qvem transferat sine cicatricis vestigio iterum recluso. Aliquoties possum ante porcos in siliquis suis ad adorationem flexuramq; genuum commovisse ; Et qvæ non alia ; qvibus porro subnatæ multæ portento-

tentosæ qvæstiones, qvibus Scholastici [ut vocant] mirum in modum se fatigant. Qvæ sane omnia adeò monstrosa, adeò novasunt, ut qvæ huc ascribantur, judicentur indigna.

XXXII. Argumenta qvæ pro stabilienda transubstantiatione adducunt, infirma sunt & refutari facile possunt. Qui ex scripturis eam probare conantur his ut plurimum uti solent. Transubstantiationem piè credendam esse, qvia apud Deum non est impossibile omne verbum. Sed facilis ad hoc est responsio. Non in nostra potestate situm est, qvia Deus omnipotens, ipsi, qvicquid nobis visum fuerit, sine aperto scripturæ testimonio tribuere. Potuisset Deus hominem volatilem facere, sed inde inferre non licet, E. fecit. Immota stat norma: Qvicquid Deus voluit, fecit. Voluntas ejus ex verbo petenda & judicanda est. Qvod si jam Transubstantiationem ex verbis Christi clarè ostendere possunt, non est cur assensum nostrum præbtere iis refragemur. Secundo multum præsidii collocant in verbis Domini: *Hoc est corpus meum*, qvæ falsa fore arbitrantur, substantia panis in Eucharistia remanente imò potiori jure tūm dicendum fuisse. Hic est corpus meum. Sed nulla ad id cogit necessitas, qvando enim substantia panis dicitur manere, non sensus est, comesto pane nudum illud symbolum comedti, sed sub pane, eodem actu qvando sumitur panis, verè contineri & præsens esse corpus Christi, ut Salvator rectè usus sit pronominis *Hoc*, ad exprimendam effati sui veritatem. Tertiò, ita procedunt. Qvia de pane & vino vulgari in cœna Dominicâ, post benedictionem Christus pronuciavit: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus*, necesse est per hanc factam esse mutationem aliquam, & qvidem talem ut corpus verè prædicari possit de pane, & sanguis de vino, ut de necessitate sit poniti Transubstantiationem, ubi enim verbum accedit ad Elementum sit Sacramentum, & verba Christi simulac prolata sunt, non possunt non esse vera. At respondemus, concedere nos non esse post benedictionem communem panem, sed talem, qvæ terrena & cœlesti re, corpore nimirum & sanguine Christi constet. Ut dicam clarius: Qvod ante erat vulgatis panis, & vulgare vinum; cum hoc, post benedictionem, verè & substantialiter adest, exhibetur

betur & accipitur corpus & sanguis Christi. Mutationem ergo largimur, & quidem talem, ut de pane vere, sed sacramentaliter, praedicari possit corpus Christi. Consequentiam, qvod ideo ponenda sit Transubstantatio, negamus, ut qvæ à non distributo ad distributum non valet. Poterit quoq; si responderi, tum demum accessisse verbum ad Elementum, ubi omnia è verbis institutionis Sacramenti administrata sunt, & tum denum verba hæc: *Hoc est corpus meum, è mente Salvatoris prolatæ esse, qvando panis benedictus comeditur, & vinum bibitur.* Ita enim mentem suam exponit Christus *Accipite, edite, &c.* Tolle ergo manducationem, & promissam in sacramento cœnæ corporis Christi præsentiam sustulisti.

XXXIII. Cœteri nulla alia ratione adducti simpliciter Transubstantiationi assensum suum præbent, qvod non aliter de Sacrementis tenendum esse putent, qvam tenet sancta Romana Ecclesia, hanc dirigi spiritu veritatis, eaq; de causa non posse nisi vera & indubitata tradere. Sed nimium hic Ecclesiæ particulari Romanæ tribuunt, qvam viri eruditæ commatis & emunctæ naris jam dudum carnalem redditam, & nihil fere de iis, qvæ Dei sunt, sapere, argumentis haud obscuris probatum iverunt. Et cum necesse sit, nisi circulum velis committere, normam credendorum unicè statuere scripturam sacram, non immerito hic qværitur, cum Ecclesia novis haud stabilietur revelationibus, unde doctrinam, hanc à prisca universalis Ecclesia ignoratam novâ hæc particularis eruerit? Sane si sacræ literæ huic sententiæ qvid roboris conciliarent, jam dudum id erutum fuisset, vel etiamnum à viris acutissimis hodie erui posset. Sponte ergo sua hoc argumentum concidit, cum eatenus sit cum Ecclesia faciendum, qvatenus dogmata sua autoritate revelati verbi probat & defendit. Deniq; sunt nonnulli, qui præsidiis aliis destituti ad dicta pauca veterū confu-
giunt, & in iis perperam intellectis suum assensum fundant, qvæ cum tempori consulendum sit, discursui reservamus.

XXXIV. Conseqvuntur hoc dogma Pontificium aliæ non exigui monenti corruptelæ. Sic in nonnullis regionibus ad mortem damnatos à participatione Eucharistie arceri fama est, eò qvod

qvod appareat, non nihil irreverentiae irrogari sacramento, si, qvi
facrosanctum hunc cibum suscepit, illico in patibulum & crucem
rapiatur, cum non raro audita sententia capitali, metum propter,
vomitus immineat, quem tamen praे posterum zelum esse nemo
facile impugnaverit, cum causa, qvare non habeant jus suum
in corpore Domini, sicut coeteri, dummodo sint vere poenitentes,
sufficiens nulla possit dari. Praepiuus tamen error, quem secum
trahit, hic est: an hostia ad rationem objectivam adorationis per-
tineat? Volunt Pontificii, qvod ubicunq; comparent & videntur
accidentia, eò tanquam ad Christum ipsum, verè ibi præsentem,
adorationem dirigendam esse, non quidem ut ipsa accidentia sive
species qvis adoret, sed Christum sub illis.

XXXV. Nos dicimus esse hoc *Ag^λλαργίαν*, non cultum
Christo debitum, cum etiam extra sacramentum, ipsum scilicet
usum & actionem hostia ab ipsis adoretur; Christum *Ιεροθεωρίαν*
una adoratione adorandum esse confitemur, propter unionem
personalem, qva humanitas Deitati est unita. Alias omnes res à
cultu Divino *λαργίας* excludimus, cum nulla detur, præter hanc,
qva Deitati hypostaticè sit unita; accidentia enim sive species
(ut loquuntur) hypostaticè unitæ non sunt, & propterea neq: cul-
tu, qvi verò Deo debetur, prosequenda. Secus qvi fecerit, à cri-
mione idololatriæ excusari nequit. Qyanquam enim in sacramento
est Christus, adeoq; etiam in eo adorari debeat, minimè tamen
inde elicitur, ut qvatenuis in sacramento existit, adoretur. Posi-
to enim hoc, in lignis qvoque adorandus esset Deus, ita scilicet ut
cultus hic *λαργίας*, dirigetur ad Deum qvatenuis ibi est, & ita
ad ipsa ligna & lapides [sicut à Pontificiis ad hostiam illud fit] a-
doratio dirigenda esset. Quidam ut nodum hunc solvant, Chri-
stum propriè & per se adorandum scribunt, eamq; adorationem
qvoq; ad symbola panis & vini pertinere qvatenuis apprehen-
duntur, ut unum quid cum ipso Christo quem continent. Sed
nec ita Idololatriam effugiunt, unitas enim, cuius respectu sym-
bola hac unum quid cum cum Christo esse dicuntur, mera est per
accidens, qvalem propter non sit, ut adoratio Christo debita ad
eiusmo-

ejusmodi conjunctum pertineat. Summa qvidem reverentia hæc symbola, ipso etiam Apostolorum ævo, tractata esse, haud obscurè ostenditur ex Epist. I. Pauli ad Corinthios cap. ii. & multa ea de re veterum exstant testimonia. Ex innumeris audiatur Cyrillus, qvi Catechesi mystagogica quinta, Cave, inquit, neqvid inde excidat tibi, si quid enim inde amittas, hoc tanquam de proprio membro amiseris. Nam si quis aurea tibi daret ramenta, annon magna diligentia custodires? atq; hic accipis qvod auro gemisq; pretiosius est, cave ergo ne mica aliqua ex illo cadat. In Græta Ecclesia etiamnum hodie summa his benedictis symbolis reverentia exhibetur, quando circumstantes profunda capitis inclinatione, & totius corporis flexu ea, dum à Presbytero porriguntur, venerantur. At multum hæc à more hodierno Romana Ecclesiæ ablidunt, qvi Transubstantioni ut certo cuidam fundamento innixi, cultum hostiæ adeo auxerunt, ut festum corporis Christi (sive ut nostræ lingvæ idiotismo dicimus den Fronleichnams. Tag) ab Urbano IV. Pontifice institutum summa religione celebrent, qvo die hostia tanquam ambarvalis circumfertur, & omnibus, qvi modo præsentes sunt, spectanda proponitur. Nostræ Ecclesiæ, qvia durabilem Christi præsentiam sub symbolis non credunt, iis nec Larriæ cultum tribuunt, nihilominus tamen benedicta hæc symbola magno honore prosequuntur, unde mensæ Dominicæ sunt apposita scabella in nonnullis Ecclesiis, qvæ hunc habent usum, ut qvi de hoc sacramento participant, in genua procumbentes, ~~lætericas~~, qva Christum prosequuntur, testatam reddant. Et hæc de secundo.

XXXVI. Ultimum qvod restat, uno atq; alteto verbo tetigisse sufficiet. Est id de sumptione calicis, qvam Laicis Synodus Constantiensis & Tridentina dari vetuerunt. Nos Scapham appellantes Scapham, Sacrilegium id esse asserimus, & omnes Christianos, qvi panem edunt, mandato teneri, ut quoque è calice bibant, hæc probamus sylloge: Qvibus est aliquid à Christo injunctum, illi hoc facere debent. Atqvi ipsis illis, qvi edunt panem, à Christo est injunctum, ut bibant è calice. Ergo ipsi illi, qvi panem edunt, è calice bibere debent. Major satis per se est clara. Mi-

D

nor

nor probatur, qvia iisdem quibus dictum est edite, dictum quoque est bibite. Eadem vero vis est *ta* edite, qvæ *ta* bibite. Si igitur illud obligat ad manducandum, hoc quoq; ad bibendum obligabit.

XXXVII. Qvæ hic regeruntur, oppido multa sunt, levia tamen, & qvæ vel ipso intuitu resolvuntur. Qvi ad sacras literas configiunt, mirum est, qva pravitate loca huc detorqeant, qvemve iis affingant sensum à genuino & proprio nimis qvam remotum, qvod cum multi diffiteri haud possint, hanc mutilationis reddunt rationem: consuetudinem illam, et si recentem, habendam esse pro lege, qvia Ecclesia, qvæ à Spiritu Sancto, qvi Spiritus veritatis, sapientiæ & intellectus audit, regitur, ita decrevit. Qvam maximam nostræ Ecclesiæ luce verbi Evangelii illustratae non ferunt. Et hæc quoq; de Controversiis Pontificiis. Si qvæ desiderantur, ea, ne nimis dissertatio nostra excresceret, in publicam ventilationem, cum DEO, *cui uni in omne ævum gloria sit, differre placuit.*



Ad Eximum

DN. R E S P O N D E N T E M,

Amicum singulariter dilectum.

Conspurcant plures Mysteria sancta, Cyclopum
Dum mores servant, conculcant summa Jehovæ
Munera, non epulo digni, non nomine sacro.
Te Schmids egregium Juvenum decus abripit ardor
Divini studii, non torpor lacinat, immo
Ardua mens gestit curâ lustrare sagaci;
Hinc de sacratæ Cœnæ usu themata pendiſ.
Sospiter & dicit Te Jovæ gratia, Christo
Ut qvandam florens per plurima lustra ministres.

Johannes Corfinius, Th. D.

Universitatis p. t. Rector.

Ad

Ad Literatissimum

DN. RESPONDENTEM,
Affinem dilectum.

Non Te desidiam, SCHMIDI, coluisse probosam,
Quæ das, Eusebii Haec documenta docente,
COENAM defendis, quam percepisse fideli
Pectore, vivificat; sed temerare, necat.

Cum gratulat. & voto

Hermannus Schuckmann/
Theol. D. & Prof.

Quod data jurarunt in magni verba Magistri
Pythagoræ socii, secula casca probant,
Quod Servatoris, SCHMIDI, nativa reservas
Cœna verba tui, laus ea major erit.
Hic tantum scit vera loqui, qui tradere falso
Nescit: & audire hunc corde fideq; salus.
Umbram, signa doces Fidei contraria, sed rem
Presentem credis. CREDE, DOCE QVE DEUM.
Hostes debella, SCHMIDI, tua gloria cresceret,
Diceris Patriæ fulgida gemma Tua.


PRÆSES.

Cudit, recudit Ratio; Tunditur Fides:
Credenda cum sunt maxime Mysteria
Et Cœna sacra distrahit plures, Malos.
Præsens si quis cum sangvine ipso existimet
Corpus sacratum; corporis, cur pernegat,
Ore recipi in Cœna? negat Calvicolæ,
Absentia qui jungier posse autumat;
Sub pane cum Christus jubet piè capi

Utrumq;

Utrumq;? Præsentes notat Res Unio.
Et organo præsentia llnita obtinet
Eodem, at oris, verè, edi. Satis hæc liqvent.
Hæc erudite, dum doces, pars optima,
Flos Civium, audiente dicam Fasino
SCHMIDI, Tuorum projicis ditissimam
Messem spei, & felicioris gaudii
Famæq;. De Te omen, benigno Numine,
Corrobora: LAUDI DEI, PATRIÆ BONO.
Extende Tu FABRICIORUM Gloriam,
Et occupa SOLI, POLIQUE gratiam!

M. Gregorius Michaël.


Que vigili curâ doctus, quæ lampade teste
Lecta Tibi, toto nunc Helicone patent.
Pergito, sic clarum nomen, sic fama perennis
Eusebius chori gloria summa venit!


Christianus Klein/ Rost.


Quid voveam doctis, Frater charissime, cœptis?
Nil: nisi pro merito te comitetur honos.

Thomas Schmidt.


Sic tentanda via est, SCHMIDI, quâ Te quoq; possis
Ignavâ humo, feliciter,
Tollere; Et hinc Victor volitare per ora Virorum
Famamq; jugem consequi.
Per placet Ingenij, de Coena, sœtus, Et inde
Promittimus laudis decus.

Joachimus Dantwirs/ Rost.

- 6 : (6 -



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn74000218X/phys_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74000218X/phys_0031)





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn74000218X/phys_0032](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74000218X/phys_0032)

DFG

Ad Lice
DN. RESPON
Affinem d
Non Te desidiam, SCHMID
Quæ das, Eusebïes Ha
COENAM defendis, quam pa
Pectore, virificat; sed t

Herm

Quod data jurarunt in magna
Pythagoræ socii, sec
Quod Servatoris, SCHMID
Cœna verba tui, la
Hic tantum scit vera loqui,
Nescit: & audire hui
Umbram, signa doces Fidei
Præsentem credis. CH
Hostes debella, SCHMIDL, t
Diceris Patrie fulgia

Cudit, recudit Ratio; Tunc
Credenda cum sunt maxi
Et Cœna sacra distrahit plu
Præsens si quis cum sanguine
Corpus sacratum; corpo
Ore recipi in Cœna? nega
Absentia qvi jungier possit
Sub pane cum Christus jul

the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.

PRÆSES.

Utrumq;

EM,
robrosam,
cent,
t. & voto
huckmann/
l. D. & Prof.
i
nt.
eservas
t.
um
salus.
em
DEUM.
,

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.